

Die 28. Aprilis.

In Festo Sancti Pauli a Cruce, Confessoris.

Introitus. Gal. 2.



Christo confixus sum cruci: vivo autem, jam non ego: vivit vero in me Christus: in fide vivo Filii Dei, qui diléxit me, et trádedit semetípsum pro me. Allelúja, allelúja.

Ps. 40. Beátus qui intélligit super egénium et paúperem: in die mala liberábit eum Dóminus.

V. Glória Patri.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui ad mystérium Crucis prædicándum sanctum Paulum singulári caritate donásti, et per eum novam in Ecclésia familiam floréscere voluísti: ipsíus nobis intercessióne concéde; ut passiónem tuam júgiter recoléntes in terris, ejúsdem fructum cónsequi mereámur in cœlis. Qui vivis et regnas.

Lectio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

1. c. 1.

Fratres: Non misit me Christus baptizáre, sed evangelizáre: non in sapiéntia verbi, ut non evacuétur crux Christi. Verbum enim crucis pereúntibus quidem stultítia est; iis autem qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est. Scriptum est enim: Perdam sapiéntiam prudéntium reprobábo. Ubi sápiens? ubi scriba? ubi conquisítor hujus sæculi? Nonne stultam fecit Deus sapiéntiam hujus mundi? Nam, quia

in Dei sapiéntia non cognóvit mundus per sapiéntiam Deum, plácuít Deo per stultítiam prædicatiónis salvos fácere credéntes. Quóniam et Judæi signa petunt, et Græci sapiéntiam quærunt: nos autem prædicámus Christum crucifíxum, Judæis quidem scándalum, géntibus autem stultítiam; ipsis autem vocátis, Judæis atque Græcis, Christum Dei virtútem et Dei sapiéntiam: quia quod stultum est Dei, sapiéntius est homínibus; et quod infirmum est Dei, fórtius est homínibus.

Allelúja, allelúja.

V. 2. Cor. 5. Pro ómnibus mórtuus est Christus: ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mórtuus est et resurréxit. Allelúja.

V. Rom. 8. Si filii, et hærédes: hærédes quidem Dei, cohærédes autem Christi: si tamen compátimur, ut et conglorificémur. Allelúja.

Extra tempus Paschale:

Graduale. Gal. 6. Mihi autem absit gloriári, nisi in Cruce Dómini nostri Jesu Christi: per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo.

V. 1. Cor. 1. Non judicávi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifíxum.

Allelúja, allelúja.

V. 1. Pet. 2. Christus passus est pro nobis, vobis relínquens exéplum, ut sequámini vestígia ejus. Allelúja.

Post Septuagesimam Tractus:
1. Pet. 4. Christo ígitur passo in carne, et vos eádem cogitatióne armámini: quia qui passus est in carne, désiit a peccátis.

In Festo S. Pauli a Cruce, Confessoris.

V. 2. Cor. 4. Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris.

V. Hebr. 12. Adspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet.



Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. **Lucæ 10.**

IN illo tempore: Designavit Dominus et alios septuaginta duos: et misit illos binos ante faciem suam, in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus. Et dicebat illis: Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta: et neminem per viam salutaveritis. In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui: et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin autem, ad vos revertetur. In eadem autem domo manete, edentes, et bibentes quae apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum. Et in quamcumque

civitatem intraveritis, et susceperint vos, manducate quae apponuntur vobis: et curate infirmos, qui in illa sunt, et dicite illis: Appropinquavit in vos regnum Dei.

Offertorium. Ephes. 5. Ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. Alleluja.

Secreta.

Cœlestem nobis, Domine, præbeant mysteria hæc passionis et mortis tuæ fervorem: quo sanctus Paulus, ea offerendo, corpus suum hostiam viventem, sanctam, tibi que placentem exhibuit. Qui vivis et regnas.

Communio. 1. Petr. 4. Communicantes Christi passionibus gaudete, ut in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. Alleluja.

Postcommunio.


Sumpsimus, Domine, divinum Sacramentum, immensæ caritatis tuæ memoriale perpetuum: tribue, quæsumus; ut sancti Pauli meritis et imitatione, aquam de fontibus tuis hauriamus in vitam æternam salientem, et tuam sacratissimam passionem cordibus nostris impressam moribus et vita teneamus. Qui vivis et regnas.



Imprimatur.

Ratisbonæ, die 1. Aprilis 1869.

J. M. Reger, Vicar. in Spirit. Generalis.



recd. 15.7.1943

HLS





BIBLIOTEKA
Zakł. Nar. im. Ossolińskich

XVIII 46791

Missale Romanum

Breslau 1738